

tissem, eum ad regimen accessit, adeoque floruit sub ejus regimine ordo Cluniacensis toto orbe Christiano propagatus, ut etiam in valle Josaphat et in monte Thabor monasteria possideret. An 1153, ind. i, tertio Idus Junii eidem abbati ad ipsius preces Fridericus, Romanorum, rex diploma concessit, quo tum donatio Balmensis coenobii, tum aliarum possessio- num Cluniacensi Ecclesiae facta robatur. Ipse vero Petrus abbas anno seq. ecclesiis Cluniacensibus in Italia constitutis indulgentiam praebuit, teste subscripto Arnaldo Aureliacensi abate.

Porro non solum moribus et doctrina clarissimus fuit, sed et suis aliorumque scriptis notissimus, uti manifeste declaratur tot elogiis eruditorum, inter quae illud Petri Pictaviensis ejus notarii retulisse consentaneum est, ait enim ad ipsum scribens : « Quis unquam Plato subtilius, quis Aristoteles argumentosius, quis Cicero pulchrius aut copiosius aliquando quidquam disseruit ! Quis grammaticus instructior, quis rhetoricus ornatior, quis dialecticus fortior, quis arithmeticus numerosior, quis geometricus regularior, quis musicus cantilenosior, quis astronomus perspicacior exstitit ! sed et si de sanctis patribus aliquid dicere audeamus, vos ab unoquoque quatuor fulminum paradisi, quae post sanctos evangelistas totum orbem irrigant, aliquid simile reportastis : quia cum Hieronymo velox, cum Augustino profusus, cum Ambroso profundus, cum Gregorio clarus inceditis. » Vitam Petri abbatis, elogia scriptaque habes collecta, tom. XXII biblioth. Patrum Lugd., pag. 812 et seqq. Quod autem inter præcipuos saeculi sui doctores emicuerit, testes sunt ejus libri contra Judæos, Mahometanos, Petrobusianos, pro asserenda Christi divinitate, sex libri epistolarum, quibus præter vulgatas adde tres alias magni momenti, quarum meminit vir clarissimus D. Fleury in Hist. ecclesiast. tom. XV. At forte nonnullis mirum videbitur inter illa opera inveniri Alcorani versionem, quam fieri a pluribus doctis viris procuravit, cum in Hispania lustrandis et visitandis ordinis sui monasteriis moraretur. Verum non alio consilio

A illam publicavit, quam ut pseudoprophetae Mahuinedis deliramenta et somnia refutaret, quod et præstít. Vide Chronicon Alberici ad an. 1145, pag. 301.

Denique functus abbatis præfectura annis 55, mensibus quatuor et quatuor diebus, Cluniaci 1158 beato sine ad superos transfertur Kalendis Januarii ex Roberto de Monte, seu potius prima die anni ex chronicō Cluniacensi, apud Miraeum in Originibus ordin. S. Bened. pag. 93. Sed annum incœpisse a die Natali Domini illinc patet, quod ibidem, pag. 96 obiisse dicitur ipso die Natalis Domini, sive VIII Kal. Januarii, quo die inter sanctos reponitur in Martyrologio monastico Benedictino. Conditur ibidem ab Henrico Vintoniensi episcopo, fratre Stephani regis Anglorum, juxta altare SS. Jacobi et Philippi, B sive, inquit Miraeus loco citato, in capite majoris et novae basilicæ ; qui quidem Petrus, ut ibidem notatur pag. 94, ecclesiam Cluniacensem gravi æris alieni pondere oppressam, prudentia et expensis suis, omni fere debitorum allevavit onere ; ita ut tam in persolutione debiti, quam etiam in reparandis possessionibus, necessariis etiam rei familiaris comparandis, sicut ex ore ejus audivimus. plus quam septem millia marcharum argenti expenderit. Tale ipsius epitaphium legitur in *Bibliotheca Cluniacensi*.

*Patet in hac urna quod non sit vita diurna,  
Qualescumque sumus, morte cœquat humus.  
Dum Petrus moritur pius abbas, jus sepelitur,  
Pax cadit, ordo jacet, flere morique placet.  
Ille salus patriæ, mundi decus, arca Sophie,  
Nescius invidiæ, vena fuit venie.  
In Natale Dei solemnis mane diei,  
Mortuus obtinuit plurima quæ meruit.*

Præter monachum Pictaviensem, Petri abbatis me minere etiam S. Bernardus Clarævallensis, Sugerius S. Dionysii et Petrus Cellensis abbates, quorum ad eum et hujus vicissim ad ipsos epistolæ plurimæ existant, Robertus de Monte, Matthæus Paris, Baroniūs in Annalibus, cæterique virorum illustrium scriptores ecclesiastici, qui fusissime proferuntur in notis ad *Biblioth. Cluniacensem* ab Andréa Duchesne editis.

## NOTITIA LITTERARIA.

Petrus Mauricius Monbôiserius, cognomento *Venerabilis*, Ord. Bened., abbas nonus Cluniacensis ab A. 1122 ad 1156. Ejus Vita scripta a Radulfo monacho, ejus discipulo, ad Stephanum abbatem Cluniacensem, prodiit in Edmundi Martene tomo sexto Monumentorum, pag. 1187-1201. In Andreæ autem du Chesne Bibl. Cluniacensi, Paris. 1614, fol. occurrit pag. 589 ejusdem Vita ex veteri Chronicō.

*Vita Petri abbatis*, ex Chronicō Cluniacensi, et

D pag. 602 Veterum de eo testimonia, S. Bernardi epist. 277 et 283 Roberti de Monte, Matthæi Parisii, Henrici de Gandavo, cap. 29; Nicolai de Clamensis, Joannis Trithemii, cap. 418 de S. E., et II, 423, illustrum Benedictin. et aliorum, inde pag. 607 Petri Pictaviensis monachi Epistola ad Mauritium, Panegyricus versibus elegis dictus in primo adventu Petri abbatis in Aquitaniam secundam, et Invectiva in calumniatorem pag. 616 et tom. XXII Bibl. Patrum Lugd., pag. 820. Epistola altera ad

eumdem Petrum, pag. 618 (Lugd. pag. 825), qua eum ad ingenii sui monumenta publicanda hortatur.

Operum Mauriti editionem pleniorē emendatiōremque et notis etiam illustratam ejusdem Bibliothecae Cluniacensis curatoribus debemus, reperitam in Biblioth. Patrum Lugd. tom. XXII, in quibus familiām ducunt pag. 621 (Lugd. pag. 826). *Epistolarum libri VI* (vulgati pridem a Petro de Monte Martyrum Paris. 1522, fol.), subjunctis pag. 959 (Lugd. pag. 967) epistolis octo Petri sive ad Petrum, quæ in veteri editione desiderabantur. *Epistolas historicas VI* ex vulgatis excerptis, atque in Scriptoribus rerum Francorum recensuit Franciscus du Chesne, tom. IV, pag. 458-491.

*Epistola ad Petrum de sancto Joanne contra eos qui dicunt: Christum nunquam se in Evangelio aperte Deum dixisse*, pag. 966 (Lugd. pag. 970).

*Tractatus adversus Iudaorum inveteratam duritatem*, pag. 985 (Lugd. p. 977), ex edit. Ingolstad: 1546.

*Epistola ad S. Bernardum, abbatem Clarævalensem*, de translatione sua, qua fecit transferri ex Arabico in Latinum (1) sectam sive hæresim Saracenorum anno 1145, cum summulâ brevi contra hæreses et sectam diabolicæ fraudis Saracenorum, sive Ismaelitarum, etc., pag. 1109 (Lugd. pag. 1050); eum Roberi Retinensis præfatione in librum Alcorani a se translatum pag. 1116 (Lugd. 1055). Addesis quæ notavi in delectu argumentorum pro veritate fidei pag. 264. seq. atque infra in Roberto.

*Epistola sive Tractatus adversus Petrobrusianos hæreticos*, pag. 1128 (Lugd. pag. 1055), ex editione Ingolstad: 1546; 4, quam cum S. Bernardi quibusdam sermonibus et epistolis curaverat Jo. Hofmeisterus.

*De transfiguratione D. N. J. C. sermo*, pag. 1251 (Lugd. pag. 1080), et in Bibl. Concionatoria Combelissii. Incip. *Hodie, dilectissimi, solito serenior notis dies illuxit.*

*De miraculis sui temporis libri duo*, p. 1247 (Lugd. pag. 1087), saepius etiam seorsum excusi, ut Duaci 1595, 12.

Rhythmi, Prosa, Versus et Hymni, p. 1558 (Lugd. pag. 1125). In his primo loco occurrit carmen elegiacum contra calumniatores carminum Petri Pictaviensis, in quo plures laudat in Ecclesia Latina scriptis et poematisbus inlytos. *In laudem Salvatoris* rhythmus incipit: *A Patre mittitur. Habes hic etiam hymnum utrumque de S. Benedicto et de trans-*

*A latrone S. Benedicti quem exhibent etiam Arno. dus Wion tom. II Ligni Vitæ, pag. 102, et Joannes a Bosco in Biblioth. Floriacensi, pag. 376; nec non Petri Abælardi epitaphium quod incipit: Gallorūm Socrates. Nam alterum, cuius initium: *Petrus in hac petra latitat*, in Biblioth. Cluniacensi et Biblioth. Petrum Lugd. non reperio; habet vero Ludovicus Jacobus de scriptoribus Cabilonensibus, pag. 142.*

*Statuta congregationis Cluniacensis* cum diplomaticis et chartis LXXVI et præfatione satisfactionali sive apologetica, etc., p. 1554 (Lugd. p. 1452).

*Totam ipsam Alcorani translationem* (2), inquit Andreas du Chesne pag. 1118, *hic attexere, superfluum. Confutavit eam et ipse Petrus Venerabilis libris quinque, quos quia necdum, licet diligenter quæsiti, reperiri potuerunt, lector hic etiam desiderabit. Ex his quos quatuor, non quinque Mauricius scripsérat, libros duos primores adversus nefandam sectam Saracenorum ex manuscrit. codice Aquicinctensi, auctoris ævo exarato, edidit Edmundo Martene tom. IX Monumentor., 1121, præmissa epistola Petri Pictaviensis, et argumentis capitulorum libri non modo primi et secundi, sed tertii quoque et quarti, quos nemo adhuc in lucem protulit. Profiteretur Pictaviensis se in transferendo Alcorano socium fuisse Petri Toletani et Roberti archidiaconi postea Pampilinensis.*

*Sermones III de laude sepulcri Domini, de S. Marcello papa et martyre; et de veneratione reliquiarum, eidem Edmundo Martene in acceptis referimus tom. V Thesauri Anecdotorum pag. 1419. Et epistolas quinque tom. I Añecdotor., p. 406 seq., 416, sicut alias duas Mabillonio tom. III Analect. pag. 481 (edit. novæ pag. 459), Carmen de virtute, quod incipit:*

*Destituit terras decus orbis, gloriâ rerum;  
Virtus.*

*Manuscrit. in Biblioth. Paulina Lipsiensi, teste Joach. Fellero pag. 299. Carmen de ritibus missæ quod sub nomine Mauricii subjunxi primæ editioni Bibliographiæ antiquariæ Hamb. 1713. 4, postea satis comperi auctorem habere Hildebertum Cenomanensem, ut in pref. ad tomum sextum Bibl. Græcæ sum professus. Petri Cluniacensis Nucleus de sacrificio missæ post Hildebertum et Rupertum Tuitiensem editus est in editione Romana librorum de Catholicæ Ecclesiæ officiis ac ministeriis, 1591, fol. et in tomo decimo Biblioth. Patrum Paris. 1644 (5).*

(1) Confer Alberici Chron. pag. 501.

(2) De hac infra in Roberto Retinensi.

(3) Nec certe minus verum eumdem composuisse tractatum *De sacrificio Missæ*, qui sub Nuclei nomine postremæ Bibliothecæ Patrum editioni additus est. At cum attente considerassemus quæ de missa

scripsit adversus Petrobrusianos hæreticos, illius epistolæ seu libri particulam esse confessim animadvertisimus, » inquit Andreas Quercetanus, in admonitione notis Bibliothecæ Cluniacensis præfixa.